

- 130 ciliam vago id genus carminis Dianae redditum, sed ipsum atque pastores dicunt, quo tempore de Scythia Taurica cum sorore profugerat, subrepto numinis simulacro et lato in fasce lignorum. unde et Fascelinam Dianam perhibent nuncupatam. apud cuius aras Orestes per sacerdotem eiusdem
- 135 numinis Iphigeniam, sororem suam, a parricidio fuerat expiatus. alii Apollini *νομῶ*, pastorali scilicet Deo, qua tempestate Admeti boves paverat, alii Libero Nympharum et Satyrorum et id genus numinum principi, quibus placet rusticum carmen. alii Mercurio, Daphnidis patri, pastorum om-
- 140 nium principis. alii in honorem Panos peculiariter scribi putant. plerique a Syracusanis primum compositum. quae cum omnia dicantur, illud erit probatissimum, bucolicorum carmen originem ducere a priscis temporibus, quibus vita pastoralis exercebatur.
- 145 quaeritur, quo ordine Virgilius sua carmina composuerit. et merito non aliunde coepit nisi ab ea vita, quae prima in terris fuit. nam postea rura culta et postremum pro cultis terris bella suscepta, quod videtur Virgilius in ipso ordine operum suorum voluisse monstrare, cum pastores primo,